

1539

statuit. Ea re cognita , Galliarum Rex novo sibi officio demereri Cæsarem cupiens , atque eam opportunam , qua sibi Insubres traderentur , occasionem ratus , illum ad iter per Gallias habendum invitavit . Id minime abnuit Cæsar . Eo conventu ingens de pace inter Principes opinio est concitata , atque ad novas spes belli feliciori exitu renovandi cunctorum arresti animi . Cæsar antequam se itineri committeret , Petrum Mocenicum Reipublicæ legatum de sua per Gallias in Belgium profectione docet : cum Rege nullis aliis de rebus , nisi de iis , quæ ad statum reipublicæ christianæ attinerent , acturum se profitetur . Pontificias , ac Venetas res sibi cordi esse affirmat ; summo se existimationis loco Rempublicam habere ; ad eam conservandam omnes suarum virium nervos adhibiturum : pro certo habere , licet de pace cum hoste egerit , atque agat Senatus , ad illam tamen , nisi necessitate adactum , non deventurum : sperare , reliquis Principibus societatis vinculo adstrictis (etsi aliqua ex parte , quæ ab eo deberentur , minime præstitisse fateri cogeretur ) Rempublicam concordia , si quam pepigisset , neglecta , suis nixam viribus , adversus communem hostem ituram . Eadem Rex Christophoro Capellio oratori commemoravit . Adjecit , Senatui scriberet , ut de pace negotium , quod Byzantii agitabatur , desereret ; cum in eo , quod cum Cæsare colloquio habiturus esset , de prosequendo , ac vehementiori conatu inferendo bello agendum foret : se propediem ea de causa Claudium Hanebaldum , Taurini præfectum , Venetas missurum . Alphonsus quoque Davalus Vastius , Insubrum præfctus , Vincentio Fideli affirmavit , se quamprimum , ut Senatum a pace abduceret , atque ad bellum inflammareret , ad urbem profecturum .

Pontifici , licet quæcumque ad concordiam inter Christianos Principes spectarent , cui publica salus , ac religio niteretur , quam ea tempestate novis institutis corrumpere iniqui homines conabantur , pergrata essent ; attamen haud obscure summam molestiam attulisse videbatur , quod , sibi minime communicatis consiliis , Reges in colloquium venirent ; atque eam militarem legationem , quæ ad Rempublicam destinabatur , suspectam se habere , Senatui significavit : ut ex veteri , & perspecta prudentia singula ageret , cohortatus . Addidit , eam es-

Cæsar per  
Gallias in  
Belgium  
transit .

Cæsaris offi-  
cia cù Mo-  
cenico ora-  
toro , ut Ve-  
netos adbel-  
lum accen-  
dat .

Francisci  
Regis cum  
Capellio Ve-  
neto oratore  
officia .